

te loquendo, & cæteris paribus, melior, & magis meritoria est dilectio amici, quam inimici, quia est actus nobilioris objecti, & in quo est major ratio virtutis, caritas enim jubet amare amicum præ inimico. Ita Angel. 2. 2. q. 27. a. 7.

67. Objic. 1. Matth. 5. dicitur: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Ergo videtur, quod dilectio amici meritoria non sit. R. Quod dilectio amici meritoria non sit, quia dilectio amici propter se, amati nullam mercedem meretur, & ita intelligendus est, textus; sed si ametur propter Deum, de fide est mereri vitam æternam; ideo dicitur cæteris paribus, factaque comparatione dilectionis amici, & inimici unice propter Deum, melior est illa, quam ista.

68. Objic. 2. Opus difficilius factum propter Deum melius, & magis meritorium est, quam opus facilius; sed dilectio inimici difficilior est, quam dilectio amici, ergo & melior. R. disting. min. dilectio inimici difficilior est, ex parte objecti, nego minor, ex parte subjecti, transeat minor, & nego consequentiam. Nam perfectio specifica, & absoluta actus sumitur ex parte objecti, non vero ex parte subjecti: alias dilectio inimici melior, & magis meritoria esset, quam dilectio ipsius Dei, quod non est verum. Aliquomodo autem præminet dilectio inimici dilectioni amici, in quantum animus hominis per illam ad remotiora se extendit: sicut virtus ignis ostenditur fortior, quanto ad remotiora suum calorem diffundit; verum tamen ipse ignis in propinquiora fortius agit.

## P U X T U M VI.

## De præcepto reconciliationis inimicorum.

69. Inq. 1. An detur præceptum reconciliationis cum inimico? R. affirm. quia eadem caritas, quæ præcipit mutuum amorem, & unionem fraternam, jubet post divisionem mutuum reconciliationem, sed clarius voluit eam præcipere Dominus Matth. 5. dicens: *Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, & vade reconciliari fratri tuo. Ubi,*

ut vides, jubet reconciliari fratri, quem læsisti, priusquam offeras munera Deo, qua major recomdatio fraternæ caritatis, & mutua reconciliationis excogitari non valet.

70. Inq. 2. Ad quid teneatur offensus? R. offensorem teneri in primis se dolere de offensa alteri irrogata. Deinde tenetur etiam sub gravi, quantocius moraliter possit, reconciliationem procurare illo modo, qui a prudentibus judicatur sufficiens, & opportunus pro qualitate personæ, loci, & temporis. Quandoque congruum merit illam aliquantulum differre, ut offensa deferretur, & dolor leniatur, sicut in casu matronæ dolore transixæ ob mariti, aut filii occisionem. Circumstantiæ ergo inspiciendæ sunt, dummodo offensorem paratus sit ad congruam satisfactionem exhibendam.

71. Quando duo paris conditionis se invicem offendunt per injuriam prudentum iudicio æqualem, neuter tenetur ad petendam veniam, sed ad se mutuo reconciliandum, vel per se ipsos, vel per interpositam personam, exhibendo sibi invicem signa specialis benevolentie. Qui autem prius injuriam intulit, tenetur prior, per se loquendo, ad hæc signa præstanda. Item, qui gravius læsit, prius absolute debet se submittere mutua reconciliationi; cæterum, quia pluries difficile cognitu est, quis injuriæ caperit, vel graviores injurias intulerit, cum pauci se cognoscant, ideo uterque cogendus est ad mutuum reconciliationem, ne cum gravi scandalo reipublicæ odia, & inimicitia inter personas, & familias diu foveantur.

72. Parentes, Prælati, aut alii superiores licet excedant in correctione inferiorum, non adstringuntur eis veniam petere: *Ne dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*, ut inquit S. Aug. in regula. Tenentur tamen modo non incogruo suæ auctoritati satisfacere famæ, aut honori læso inferiorum: cum Prælati, non solum ex caritate, sed ex debito justitiæ sui officii, strictè incumbat, inferiorum famæ, & honori prospicere. Filii, subditi, & alii inferiores semper tenentur superioribus offensus veniam humiliter petere, & signa specialis dilectionis prævenire.

73. Inq. 3. Ad quid teneatur offensus? R. Teneri in primis ad non concipiendum odium contra proximum, vel ad statim deponendum, si jam illud concepit: quia ad hoc tenetur ex præcepto caritatis, quæ semper, & pro semper odium prohibet. Deinde tenetur ad remittendam positive offensam ex corde, exhibendo signa communia dilectionis offensori, & succurrere illi in extrema necessitate. Non enim sufficit, non odisse, sed ulterius requiritur, & offensorem positive diligere, & illi in necessitate succurrere juxta præscriptum Domini: *Benefacite iis, qui oderunt vos*. Tandem tenetur acceptare reconciliationem rationaliter oblatam, exhibendo tunc signa specialia dilectionis. Si tamen offensus esset pater, aut superior, posset ad majorem correctionem inferioris aliquandiu hæc signa prudenti moderatione differre.

74. Inq. 4. An in articulo mortis teneatur offensus reconciliari cum offensore, vel proprio occidere? R. affirm. casus iste decisus manet cum doctrina incilitæ virginis sanctæ Theresiæ matris nostræ tract. 2. n. 100.

75. Igitur licet in aliis casibus opportune differri valeat reconciliatio; minime in articulo mortis: quia post mortem non adest tempus; ideo ibidem diximus, quod esto teneamur sequi in vita easdem opiniones, ac in morte; sed periculum mortis variat casum.

76. Inq. 5. An teneatur offensus condonare non solum offensam, sed etiam satisfactionem, & damni compensationem? R. secluse omni odio, aut inimicitia, non tenetur offensus remittere satisfactionem, nec damni reparationem: quia ad utramque habet jus strictum, & utrique debet offensus ex justitia satisfacere. Imo aliquando nec convenit, nec potest offensus illas condonare, ut si est membrum communitalis, cujus honori, aut læsioni cedere non valet. Si est pater familias per cujus inhonorationem, aut dispendium læduntur filii, & sic de aliis. Adverte tamen, quod avidus recuperandi honorem illum sæpe plus amittit cum magno domus suæ, & filiorum dispendio.

77. Si offensus adzquatam offerat sa-

tisfactionem, & damni compensationem, debet offensus illam admittere, quum judicialiter eam exigat: quia solum habet jus, ut sibi honor, & damnum adzquate reparetur, ergo oblatio hæc ab offensore, nihil amplius offensus valet juste exigere. Fatemur, quod si offensus peteret coram iudice vindictam unice, & sincera intentione emendationis offensoris, vel ad justum terrorem aliorum malefactorum, vel ex motivo boni communis, aut pacis, & quietis reipublicæ, abs dubio liceret illi eam exigere: Sed quis est hic, & laudabimus eum? Eccl. 3.

## CAPUT II.

## De elemosina, &amp; correctione fraterna.

## P U X T U M I.

## De elemosina.

78. **E**lemosina vox græca est, quæ latine dicitur *miseratio*, seu *misericordia*. Misericordia autem originem ducit a *miseria*, & *corde*, seu *miseria corde*. Est duplex, alia propria hominum, quia movetur ex compassione, seu tristitia alterius miseræ, & nequit competere Deo, ut ex se patet. Alia, quæ propriissime convenit Deo, quia non ex compassione, sed ex mera bonitate movetur, quæ sic describitur: *Voluntas sublevandi alienam miseriam*. Hæc inter virtutes nobilissima est, & pene æquat caritatem. Distinguitur tamen ab ea in nobis, quia caritas succurrit pauperi immediate propter Deum; misericordia vero subvenit immediate propter bonitatem intrinsicam miseriationis: Unde distinguitur specificè caritas, & misericordia propter distinctas rationes formales.

79. Inq. 1. Quid sit elemosina? R. est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum. Vel sublevatio alienæ miseræ ex compassione propter Deum. Dicitur opus, ut significetur esse actum exteriorem, quo datur aliquid indigenti, ad significandam materiam circa quam, scilicet passivam indigentia sublevationem; ex compassione, ad denotandam rationem formalem misericordie nostræ, propter Deum, ut in-



notescat imperium caritatis, cui subijcitur misericordia. Unde constat essentia eleemosynæ & hanc esse actum imperatum a caritate, & elicium a virtute misericordiae. Cæterum si intendas alienam miseriam sublevare ex animo satisfaciendi Deo pro peccatis, erit actus imperatus a poenitentia; si vero ordinetur ad cultum divinum, erit actus imperatus a religione, & sic de aliis. Licet autem omnium virtutum actus valeant imperari a caritate, eleemosyna potissime dicitur actus caritatis, quia majorem propinquitatem, & influxum habet cum illa, in qua præcipue caritas refülget.

80. Inq. 2. Quotplex sit eleemosyna? R. est duplex, una corporalis, alia spiritualis: Utraque septem habet actus principales, qui communiter in vulgari catechismo, quatuordecim opera misericordiae dicuntur. Septem corporales sunt, pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, hospitare peregrinum, visitare infirmum, redimere captivum, & sepelire mortuum. Septem spirituales sunt, docere ignorantem, consulere dubitantem, corrigere errantem, solare tristem, remittere injurias, alienas infirmitates tolerare, & pro omnibus orare. Et licet alia misericordiae opera dari possint; tamen quia ad præfata reducuntur, ea tantum enumerat D. Th. 2. 2. q. 32. art. 2. duplici versu sequenti:

*Visito, poto, cibo, redimo, tego, coligo, condo.*

*Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.*

Sub verbo *consule* duo comprehenduntur, & consilium indigenti dare, & docere ignarum.

81. Inq. 3. An eleemosyna spiritualis præstantior sit corporali? R. affirm. quia eleemosyna spiritualis nobilior respicit objectum, nempe animam, ideoque sicut anima præstantior est corpore, ita eleemosyna spiritualis secundum se, & absolute melior, & magis meritoria est, quam corporalis: ut docet D. Thom. a. 3. Verum aliquando eleemosyna corporalis spirituali præferenda est, ut dum quis fame moritur, potius pascendus, quam docendus est.

## PUNCTUM II.

## De præcepto eleemosynæ.

82. Inq. 1. An detur præceptum largiendi eleemosynam? R. Dari præceptum naturale, & divinum de eleemosyna faciendâ. Naturale, quia ipsa lex naturalis exigit, ut diligamus proximos, non tantum verbo, & lingua; sed opere, & veritate, subveniendo illis in necessitate. Et similiter, ut quod tibi vis, alteri facias. Præceptum divinum constat ex cap. 15. Deuth. *Ego præcipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi.* Et ex Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum... Esurivi enim, & non dedisti mihi manducare.* Constat etiam ex SS. PP. & est expressum in D. Th. 2. 2. q. 32. a. 5.

83. Inq. 2. Quando obliget præceptum eleemosynæ? Pro resolutione observandum est 1. Necessitatem esse triplicem, nempe *extremam, gravem, & communem.* *Extrema* est, quando proximus est in periculo proximo, vel probabili vitæ propriæ, aut suorum amittendæ. Ad hanc reducitur gravissima, ut periculum perpetui carceris, mutilationis principalis membri, morbi incurabilis, aut captivitatis periculosa. *Necessitas gravis* est, quæ hominem constituit in notabili periculo patendi grave damnum in corpore, honore, fama, statu, vel re familiari. *Communis* est, quam communiter pauperes patiuntur, cui occurrere per se ipsos valent cum aliqua sollicitudine emendicando, vel alio modo sibi non incongruo.

84. Observandum est 2. Bona quibus prædictæ necessitates sublevantur esse etiam in triplici differentia. Alia enim sunt necessaria ad sustentationem vitæ propriæ, & suorum. Alia ad statum decentem conservandum. Alia denique sunt superflua, quia neque ad vitæ, neque ad statum conservationem sunt necessaria. Dari autem hæc bona superflua, præter quotidianam experientiam, constat etiam ex propos. 12. damnata ab Innocent. XI. *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosinam, quando te-*

ne-

netur tantum ex superfluo statui. Quibus suppositis, triplici paragrapho resolvitur dubium.

## § I.

## De necessitate extrema.

85. Dicendum est 1. præceptum eleemosynæ obligare non solum ex superfluo, sed etiam ex necessariis statui, aut cum aliquo ejus detrimento, in extrema, aut quasi extrema necessitate proximi. Tum, quia si præceptum eleemosynæ aliquando obligat, potissimum in extrema, aut quasi extrema necessitate indigentis. Tum, quia in ordine caritatis vita proximi potior est, quam status personæ, ergo cum aliquo detrimento status teneris subvenire extreme indigenti. D. Thom. a. 5.

86. Inq. 1. An cum notabili detrimento status teneris succurrere extreme indigenti? R. cum distinctione: vel necessitas est communis, vel particularis. Quando necessitas extrema communis est, debet etiam cum detrimento gravissimo status subveniri: ut si oppidum, civitas, aut regnum periclitaretur: quia bonum commune particulari præferri debet. Eadem ratione, si persona extreme indigens esset multum necessaria reipublice, aut Ecclesiæ, subveniri debet cum detrimento notabili proprii status. Vel necessitas est particularis, & tunc nemo obligatur ad subveniendum cum gravissimo detrimento sui status; nec tenetur ex nobili plebejum, nec ex divite mendicum fieri.

87. Ex dictis sequitur, quod non teneris in extrema necessitate proximi adducere medicos distantes, nec medicinas exquisitas, aut copiosas divitiis pro his consumere: quia hæc sunt media extraordinaria pro salute proximi conservanda, quæ nec pro vita propria tenentur quis adhibere. Verum est, quod si quis esset solus, & prudenter speraret ab infirmitate se posse liberari plures pecunias in medicis, & medicinis insumendo, proculdubio ad hoc teneretur, quia cum nulli præjudicium afferat, vita propria omni sumptu, & pecunia pretiosior est. Nihilominus tenentur divites, & no-

biles restringere fastum, & luxum familiaris, ut pauperibus extreme indigentibus caritate christiana succurrant. Debent enim id efficere cum aliquo detrimento sui status, ut supra diximus. Nul- lus tamen tenetur quærere in hospitalibus, aut aliis locis extreme indigentes ad eis subveniendum; nisi ex officio eos quærere incumbat, ut Episcopis, Parochis, Judicibus, & Magistratibus.

88. Inq. 2. An ex necessariis ad propriam vitam teneatur quis subvenire extreme indigenti? R. neg. quia vita propria alienæ præferri debet: & in pari necessitate caritas bene ordinata incipit a se ipsa; nisi alias extremæ indigens bono communi sit necessarius. D. Thom. art. 6.

89. Inquires 3. An satisfiat præcepto eleemosynæ, qui extreme indigenti commodaret, mutaret, aut venderet ad creditum rem, qua indiget? R. quod in extrema necessitate absoluta non satisfiat præcepto, nisi per donationem absolutam rei. Primo, quia extreme indigenti jure naturæ debetur res, qua indiget, ergo injuste imponitur ei obligatio restitutionis, aut solutionis. Secundo, quia scriptura, & patres nomine eleemosynæ donationem absolutam intelligunt. Tertio, quia oppositum est parum pium, nam cum præceptum eleemosynæ obligat, gratuitam donationem jubet.

90. Si vero necessitas fuerit respectiva, satisfiat præcepto per commodatum, mutuum, aut venditionem rei, quia sic indigens non est pauper absolute, sed respectivè, ergo non habet jus ad absolutam donationem. Unde si proximus in extrema necessitate solum indiget usu rei, non teneris eam absolute donare: ut si indigeat æquo ad evadendum mortis periculum, hoc transacto, debet equum reddere domino. *Necessitas absoluta* illa dicitur, in qua homo constitutus nullibi habet, nec sperat bona, quibus talis necessitas sublevetur. *Respectiva* est, quando indigens licet non hic, alibi tamen habet, vel sperat sufficientia bona, per quæ a necessitate liberetur.

91. Inq. 4. An sit licitum cuilibet accipere ab aliis in extrema necessitate, quod sibi est necessarium? R. affirm. quia



quia in necessitate extrema omnia sunt communia. Ideoque suum accipit, non alienum; nec dicitur furari, licet clam accipiat. Duo tamen observari debent: primum, quod non amplius accipiat, quam quod necessarium sit ad necessitatem sublevandam, & siquid supersit ex acceptis, domino reddat. Secundum, quod dum commode possit, prius postulet, quod sibi necessarium videtur. D. Thom. 2. 2.

97. ad 3.

92. Inq. 5. An si quis furatus est rem alienam, & postea constitutus in extrema necessitate illam consumpsit, teneatur ad ejus restitutionem, si ad meliorem frugem perveniat? R. affirm. sive illam consumpsit in necessitate respectiva, sive absoluta. Et quidem in respectiva apud omnes est compertum, ut ex dictis patet. In absoluta etiam videtur probabilis: & probatur exemplo ejus, qui furatur rem alienam, quæ absque ulla culpa perit, quam proculdubio restituere tenetur, ergo similiter in præseni. Durum quippe videtur, alienumque a ratione, eum, qui apud Indos furatus est notabilem quantitatem, quam hic in extrema necessitate consumpsit, si postea ad meliorem statum pervenerit, liberum esse a restitutione, & potiori ratione si alienas res cum propriis permiscuit. Idem dicendum est, si res consumpta in extrema necessitate fuit antea mutuata; e contra vero si fuit commodata. Quia in mutuo acquisivit dominium cum obligatione tantumdem reddendi ante extremam necessitatem; cuius oppositum contingit in commodato, ubi per ipsam necessitatem factus fuit dominus rei, quam licite apud se habebat.

93. Inq. 6. An in extrema necessitate obligatio eleemosynæ sit tantum ex caritate, verum etiam ex justitia? R. obligationem eleemosynæ tantum esse ex caritate, non vero ex rigorosa justitia: quia ex eo quod alius sit in extrema necessitate, dominus rei non amittit ejus dominium: ergo non tenetur illi tribuere ex rigorosa justitia. Ex quo inferitur, quod violans præceptum eleemosynæ in extrema necessitate, non tenetur ad restitutionem, quia solum ex violatione justitiæ oritur obligatio restitutionis.

D. Thom. a. 1.

94. Objic. 1. Teneris ex justitia non impedire extreme indigentem, qui rem tuam vult sibi accipere, ergo ex justitia teneris illam ei tribuere, teneris enim ex justitia tradere rem illi, qui justitiam habet illam accipiendi. R. neg. conseq. nam extreme indigens habet quidem jus ad rem capiendam, quam post captionem, & non antea facit suam, id eoque teneris ex justitia illum non impedire a captione rei; non tamen ad eam illi tradendam, ad hoc enim sola caritas, non justitia te obligat.

95. Objic. 2. Nemo potest licite accipere rem, quam alius tantum ex caritate tenetur ei dare; sed extreme indigens potest licite accipere rem alterius, imo si impediatur vi, & armis se defendere usque ad occisionem illius, ergo iste tenetur ex justitia eam illi dare. R. neg. major, quæ fallit in extrema necessitate, in qua omnia sunt communia, ita ut sint ejus, qui ea primus apprehenderit: habet ergo extreme indigens jus ad rem apprehendam; non tamen rei dominium, quod cum ante apprehensionem remaneat apud dominum, iste nullum rigorosum jus violat per hoc, quod eam illi non tribuat. Non loquimur hic de Superioribus, & aliis, quibus ex officio incumbit alterius mortem, vel grave damnum impedire, isti enim ex justitia tenentur aliorum necessitatibus subvenire. Nec de ecclesiasticis, de quibus postea.

## S. II.

### De necessitate gravi.

96. Dicendum est 2. Omnes teneri eleemosynam facere non solum ex superfluis ad statum, sed etiam ex necessariis ad ejus decentiam, & splendorem in gravi necessitate proximi. Ita D. Th. 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3. & alibi. Ubi duplicem agnoscit eleemosynæ radicem: aliam ex parte dantis, nempe superfluitatem, aliam ex parte recipientis, nempe necessitatem. Ergo ubi adest superfluum, & necessitas gravis, ex utraque radice obligat præceptum eleemosynæ.

97. Quod autem ex superfluis ad statum

tum obliget eleemosyna in gravi necessitate, probatur 1. ex parabola servi, qui Matth. 18. damnatus est ex eo, quod in gravi necessitate conservi sui non est illius misertus, ergo in tali necessitate obligat præceptum eleemosynæ. Probat. 2. Quia ordo caritatis postulat defendere, ac præservare honorem, ac statum proximi, cum absque detrimento id fieri valet; sed nullum detrimentum vitæ, aut status proprii patitur, qui superflua erogat, ergo debet ex caritate illa tribuere proximo in gravi necessitate constituto.

98. Quod vero etiam ex necessariis ad splendorem status debeas succurrere gravem necessitatem patienti, probatur, quia omnes tenemur sub lethali proximum liberare a gravi malo, dum possumus absque gravi detrimento proprio; sed minere aliquatenus splendorem status non affert grave detrimentum, & alias contra pietatem christianam est, te voluptuose vivere, laute epulari, & splendide indui, aspiciendo proximum fame, nuditate, gravique inopia opprimi, ergo teneris ex caritate in tali casu illi subvenire, ne damneris cum divite epulone Evangelii. Hoc declamant SS. Patres: hoc postulat ordo caritatis: Hoc commendat scripturæ sanctæ: Et præcipue 1. Joannis cap. 3. Ubi dicitur: Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & claverit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?

99. Objic. 1. Si dicta vera sunt, fere omnes divites, eorumque Confessarii damnarentur; cum passim oppositum ab illis videamus, ergo. R. Hujus objectionis solutionem dedisse Salvatorem nostrum dicens: Amen dico vobis, quia divites difficile intrabit in regnum cælorum. Iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. Matth. 19. Et docens Confessarios, & Consiliarios, ne sint cæci duces cæcorum, dixit: Cæcus autem si cæco ducatum præset, ambo in foveam eadunt, cap. 15.

100. Objic. 2. Si peccarent divites superflua retinendo in gravi necessitate proximi, peccarent etiam acquirendo ea, vel pro filiis in statu collocandis, vel

Tom. I.

pro Ecclesiis edificandis, vel pro assequendo altiori statu, ergo. R. neg. sequelam: nam licet divites peccent in avara retentione superflui; non tamen in prudenti sollicitudine illud acquirendi, & conservandi. Quod autem retinetur pro filiis collocandis, non est superfluum. Idem que dicimus de necessariis ad congruum, & moderatum statum altiorem consequendum; dummodo cupiditati honestus finis præstitatur. Quod attinet ad Ecclesias edificandas, ordo caritatis inspiciendus est: Nam si templa, aut monasteria necessaria sint ad populi salutem, vel ad sacra peragenda, præferri debent particulari necessitati, sin autem, gravis necessitas proximi præferenda est, subveniendo potius templis vivis, quam materialibus.

101. Inq. 1. An in necessitate gravi licitum sit furari id, quod sibi necessarium videtur? R. neg. quia ex opposito magna inconvenientia sequerentur, & aperiretur janua pluribus latrocinii: quare merito damnata est ab Innocentio XI. prop. 36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. Igitur in extrema necessitate licitum est accipere aliena, quia tunc omnia bona sunt communia, quod non contingit in gravi.

102. Unde probabilius judicamus non licere de alienis necessaria accipere, cui dedecus magnum esset mendicare: nec puellæ in periculo amittendi pudorem ob inopiam constitutæ: quia in utroque casu adest necessitas gravis; non tamen extrema, aut gravissima: in quibus tantum ordo caritatis permittit accipere de alienis necessaria.

103. Inq. 3. An hæres in gravi necessitate excusetur solutione legati pro celebratione Missarum pro animabus purgatorii? R. neg. quia aminæ purgatorii majori necessitate gravantur: nam si necessitas hæredis consistat in eo, quod conciliendus est in carcerem, acerbior carcer est purgatorium. Solvat, & solvantur.

Ccc

§. III.



## §. III.

## De necessitate communi.

104. Dicendum est 3. in communi necessitate pauperum teneri divites ex superfluis eleemosynas facere. Probatur 1. ex D. Luca cap. 11. *Quod superest, date eleemosynam.* Probatur 2. ratione, quia divisio rerum communi consensu gentium facta non debet esse in præjudicium pauperum; sed si habentes superflua non tenerentur ea in pauperes expendere, esset in præjudicium eorum, qui inopia perirent, si divites illa retinere licite possent, ergo non possunt, & consequenter tenentur illa in pauperes expendere juxta unius cujusque facultates, ut dicitur *Tobie 4. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

105. Inq. 1. Quando erit peccatum grave denegatio eleemosynæ in communi necessitate? R. Quod si dives animum haberet numquam dandi eleemosynam pauperibus passim obviantibus, mortaliter peccaret: quia talis animus est quædam gravis inordinatio contra caritatem, & humanam pietatem. Verum qui aliquibus præbet, licet aliis denegat, non peccat graviter; immo interdum nec leviter: quia non est obligatio dandi omnibus, & singulis, sed aliquibus, pro ut sibi placuerit, & caritas didaverit. Nec similiter committit peccatum lethale, licet aliquando communem pauperem asperis verbis a se repellat; nisi asperitas verborum esset nimis excessiva, aut injuriosa. Nec tenentur divites omnia superflua pauperibus præcise erogare; sed possunt in alios pios usus aliquid expendere, aut reservare: quia præceptum eleemosynæ in communi necessitate non obligat singulos in individuo; sed generaliter omnes divites, ex quibus si singuli aliquid elargiantur, communi necessitati sufficienter subveniunt.

106. Inq. 2. An peccet graviter, qui multum thesaurizat, & parum, dum vivit, indigentibus erogat, eo animo, ut post ejus mortem totum distribuatur in

pauperes, aut ad virgines dotandas, ad erigendum monasterium, hospitale, vel aliud opus pium? R. Hunc degere in continuo peccato mortali: quia præceptum eleemosynæ obligat non tantum in morte, sed præcipue in vita; immo magis meritoria est in vita, quam in morte: in qua plus videtur necessaria, quam voluntaria. Tenentur ergo similes ad faciendas eleemosynas in vita secundum gradum suarum facultatum. Neque eximuntur ab hac obligatione per intentionem eas distribuendi post mortem: quia hæc intentio non salvat gravem præcepti transgressionem. Verum si dum vivunt, decentes eleemosynas faciant secundum exigentiam necessitatum, qui magnam pecuniæ copiam sine alterius præjudicio congregant, ut, ipsis adhuc viventibus, aut post eorum mortem aliqua pia opera fundare valeant, laudabiliter se gerunt: quia isti necessitati- bus occurrentibus sufficienter in vita satisfaciunt.

207. Inq. 3. An Princeps, seu Magistratus prohibere valeat, ne peregrini, aut exteri pauperes in sua ditione postulent? R. affirm. si hoc efficiant, ne exteri in suis ditionibus invehant morbos, dissidia, proditiones, aut quid simile: vel quia pauperibus propriis non posset alias sufficienter subveniri: Nam ordo caritatis postulat, ut suis potius consulatur, quam extraneis. Cæterum nequit prohibere peregrinis, ne transeunter eleemosynam exposcant: quia hoc inhumanum, & alienum prorsus a caritate esset: nisi alias peste infectis accessus ad suam ditionem pruderenter ad tempus recludatur.

108. Inq. 4. An Judices possint subditos compellere ad erogandam eleemosynam, quoties illam facere ex præcepto tenentur? R. affirm. quia Judices habent potestatem ad compellendum subditos, ut faciant, quidquid conducit ad bonum commune; sed elargiri eleemosynas valde conducit ad bonum commune, ergo ad id possunt subditos compellere. Unde apud omnes valde laudabile est, & prudentissimum reipublice regimen construere xenodochia publica, in quibus per cives juxta cujusque facultatem pauperes alantur. Quod etiam apud

Gen.

Gentiles præclare invaluit, diciturque Lycurgum Regem Lacedæmonæ xenodochiorum fuisse inventorem in favorem pauperum. Verum certius est, quod Abraham fuit hospitalitatis primum exemplar, & quod ex sacra pagina etiam gentiles didicere documenta caritatis, & misericordiæ erga pauperes. Locus similiter, quo anima Christi descendit e cruce, & ubi erant animæ sanctorum patrum, & pauperis Lazari, ex illius hospitalitate dicitur Sinus Abrahamæ juxta S. Petrum Chrysol. *Serm. 42.*

## PUNCTUM III.

## Qui possint, &amp; teneantur facere eleemosynam.

Tres sunt species personarum, quæ eleemosynam dare queunt, nempe sæculares, ecclesiastici, & regulares, de quibus in triplici paragrapho breviter disseremus.

§. I.  
De secularibus.

109. Dicendum est omnes sæculares, qui bonorum suorum dominium, & plenam administrationem habent, posse, & debere eleemosynam facere juxta dicta puncta, antecedenti: quia eleemosyna est liberalis donatio; sed solum omnes, qui habent dominium, & plenam administrationem rei, possunt donare, ergo etiam eleemosynam elargiri. Hæc autem resolutio intelligitur extra necessitatem extremam; quia dum hæc adest, quilibet ex quibuscumque bonis potest, & debet proximo subvenire.

110. Ex quo sequitur 1. uxorem posse ex bonis paraphernalibus eleemosynas facere: quia habet dominium illorum, & administrationem. Imo & de aliis bonis secundum consuetudinem mulierum suæ conditionis, ex tacita mariti licentia. Idem potest de aliis bonis, quæ præter dotem servavit ad suos usus, quorum in Regnis Castellæ administrationem habet, & de aliis, quæ conceduntur a marito pro sumptibus extraordinariis, & voluntariis, vel de iis, quæ propria arte, vel indu-

tria lucratur, si sufficientem dotem secum detulit. Etiam de bonis quorum administratio, imo & dominium est apud maritum, potest uxor eleemosynas facere, tum ad avertendum malum, sive spirituale, sive temporale proprium, vel mariti, aut familiæ, ut prudenter fecit Abigail cum David. Tum ad alendos, & subveniendos parentes, & filios ex alio matrimonio habitos, & etiam ad fratres suos, & mariti: quia ad decorem utriusque attinet, ne fratres suos emendicare permittant. D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 2.

111. Sequitur 1. Quod filius familias eleemosynas facere potest de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, quorum dominium, & administrationem habet. Et etiam de bonis parentum sibi traditis ad honestam recreationem, & alios usus honestos, & semper ac præsumitur voluntas parentum. Idem dicimus de pupillis, & minoribus, tutores vero, & curatores possunt, & debent facere eleemosynas juxta conditionem pupilli, & minoris, & eorum facultates. D. Thom. ibid.

112. Sequitur 3. Quod servi, & famuli eleemosynas facere nequeunt nisi ex aliqua actione personalis, qua nihil defraudent dominis: vel ex aliqua re propria, utcumque sit: Vel quando clare præsumitur voluntas domini. D. Thom. ibid.

## §. II.

## De ecclesiasticis.

113. Circa obligationem ecclesiasticorum ad elargiendam eleemosynam supponendum est 1. Bona ecclesiasticorum esse in triplici differentia. Alia *patrimonialia*, quæ successione, donatione, aut labore proprio comparantur. Alia *quasi patrimonialia*, quæ obveniunt intuitu alicujus ministerii ecclesiastici, ut predicationis, lectionis, aut alterius actionis personalis. Alia sunt denique *mere ecclesiastica*, quæ ex beneficio percipiuntur, ut annui redditus ex præbendis, aut capellanis, & fructus ex decimis, & primitiis.

114. Supponendum est 2. ex bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus,



codem modo ac seculares, teneri ecclesiasticos ad eleemosynam. Quia hæc bona computantur ut temporalia data a fidelibus in stipendium operis impensi. Ita D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. Quare præcipua difficultas est de aliis bonis pure ecclesiasticis, pro qua:

115. Dicendum est omnes ecclesiasticos, etiam summum Pontificem, & Episcopos teneri omnia bona ecclesiastica superflua, seu quæ supersunt ex sua congrua sustentatione, pauperibus erogare. Ita Concil. Trident. sess. 25. de reform. cap. 1. Ubi interdicit omnibus ecclesiasticis, etiam Cardinalibus, & Episcopis augere consanguineos, familiaresve suos ex redditibus Ecclesie, nisi pauperes sint; in quo casu permittit, illis, ut pauperibus distribuere: *Quia res ecclesiasticæ sunt Dei*; Quapropter solum in pauperes, aut alios pios usus impendi debent.

116. Explicatur amplius: Concilium non solum interdicit clericis expendere bona ecclesiastica in usus prophanos, sed causam declarat, & rationem reddit, nempe quia sunt *res Dei*, ergo non solum ex caritate, sed ex ipsa natura rerum oritur obligatio ea distribuendi tantum in pauperes, aut alios usus pios. Unde ulterius sequitur, in hoc Pontificem non posse dispensare: quia non est de mero jure ecclesiastico, sed de jure naturæ, quo ecclesiastici adstringuntur omnia superflua in pauperes erogare.

## §. III.

## De hujus obligationis qualitate.

117. Inq. An clericis non solum ex debito caritatis, & ex jure positivo Tridentini; sed etiam ex justitia teneantur bona ecclesiastica, quæ suæ decenti sustentationi supersunt, expendere in pauperes, & alios pios usus? Circa hæc satis implexam quæstionem quatuor præcipuas invenimus sententias inter graviores auctores. Prima asserit, ecclesiasticos, non dominos, sed dispensatores esse horum bonorum, unde si in alios usus, quam necessarios, & pios expendant, graviter peccant, & ad restitutionem tenentur. Ita S. Raymundus, Gratianus, Navarrus cum fere omnibus ca-

nonistis, Alexander Alensis, Henricus, Major, & alii. Secunda affirmat ecclesiasticos esse dominos portionum, quæ singulis applicatæ sunt; teneri tamen ad eleemosynam titulo justitiæ. Ita Paludanus, S. Antonius, Petrus de Soto, Martinus Ledesma, & Araujo. Tertia sententia est Cajetani docentis idipsum, quod secunda, quando fructus, & proventus Episcopi, & clericorum sunt valde pingues, ut passim cernitur in Hispania in pluribus prebendis, & dignitatibus, licet non desint clerici, & ecclesie valde pauperes. Quarta opinio tenet Episcopos, & clericos esse dominos fructuum beneficiorum, ita ut solum ex caritate superflua erogare pauperibus teneantur. Ita Soto, Banez, Petrus Ledesma, Serra, Lorca, Corduba, Prado, & alii tam intra, quam extra echolam D. Thomæ: quibus subscripserunt N. Salmanticenses morales, supposita divisione bonorum ecclesiasticorum.

118. Divisionem istam aliqui attribuunt S. Silvestro. Alii Simplicio Papæ, in cap. de redditibus, caus. 12. q. 2. Ubi fructus, seu proventus Ecclesie in quatuor partes divisit, propter negligentiam Episcoporum in recta, & fideli distributione eorum. Antea enim omnes clerici in communi vivebant, ab Episcopis que omnia bona Ecclesie a fidelibus oblata, singulis pro qualitate meritum distribuiebantur. Reliquum Ecclesie fabricæ, & pauperibus sublevandis signabatur. Frigescente vero caritate, invalescenteque avaritia; ad tollendas lites, & quæstionias unam portionem Episcopis assignavit, aliam clericis pro meritis eorum, tertiam fabricæ, quartam pauperibus.

119. Pro decisione autem ingenue fatemur mentem D. Thom. esse saltem ambigam in hac parte; idem plane fatetur Genettus. Unde provenit divisio etiam inter ejus discipulos, ut omissis antiquis videre licet inter P. Billuart, & P. Concina; qui nimio ardore oburgat illum asserentem sanctum doctorem stare pro sententia benigna *Quodlib. 6. q. 7. a. 12.* sed quidquid sit de eorum acri disceptatione, quod probabilis nobis apparet; sequenti exponimus resolutionem.

120. Dicendum est, quod licet clericis habeant aliquid dominium bonorum ecclesiasticorum, quæ singulis sunt applicata, teneri tamen ex justitia expendere in pauperes, & pias causas ea, quæ ipsorum congruæ sustentationi supersunt, tamquam fideles dispensatores; itaut secus facientes restituere teneantur. Hæc resolutio quoad hanc præcipuam controversiæ partem est primitivæ Ecclesie quindecim sæculorum præscriptione munita, & SS. patrum, ac Pontificum autoritate undequaque conclamata, veriorque, & conformior divinis litteris, sacris canonibus, traditionibus ecclesiasticis, & juxta plures ejus alumnos etiam menti D. Thomæ accuratius inspecta.

121. Probat. autoritate S. Bernardi, qui *epist. 2. ad Fule.* dicit: *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Ergo id, quo clericus indiget pro victu, & congrua, suum est, id autem quod inde superest, alienum est, pauperum est.

122. Prob. ratione: qui rem alicui ex natura sua debitam illi non tribuit, vel alio distrahit, injustitiam committit, & ad restitutionem tenetur; sed quod superest clericis ex proventibus ecclesiasticis, debetur ex natura sua pauperibus, aut causis piis: quia est *res Dei*, ut ait Concil. Trident. & *patrimonium Christi, & pauperum*, ut dicunt SS. patres, ergo si clericis hoc patrimonium in usus profanos expendant, injustitiam committunt, & ad restitutionem tenentur. Conseq. videtur legitima, major est principium elementale in sacra theologia, minor vero conceditur ab omnibus doctoribus, exceptis Lorca, & Lessio, qui contendunt hanc obligationem clericis provenire ex jure positivo Tridentini, sed merito a cæteris improbantur. Ex natura igitur rei oblate Deo, aut Ecclesie oritur dicta obligatio, proindeque ex justitia, admodum quo, si quis fiat hæres agri gravati pensione dandi tantum pauperibus, erit utique dominus agri, sed sub illa obligatione justitiæ, quæ cum ipso agro transit ad quemvis hæredem: Ita sua proportione clericus, qui voto paupertatis non se adstrinxit, fit do-

Tom. I.

minus fructuum sui beneficii sub præmissa obligatione.

## §. IV.

## Satisfit objectionibus.

123. *Objic.* Clerici saltem in Gallia, & Hispania valide, & licite conduunt testamenta; sed non possent illa ita condere, si superflua pauperibus, aut causis piis tribuere ex justitia teneantur, ergo non est talis obligatio. R. Hoc argumentum in primis nihil favere Episcopis, qui ut observantiores sacrorum canonum non testantur. Deinde neque favet clericis ex jure communi, in quo prohibetur eorum testamentum. In Gallia ergo, & in Hispania ex consuetudine testantur clerici ad causas piis, quod ipsis conceditur *cap. Relatum 12. de testamentis.* Si autem testari velint ad causas prophanas, illicite, & invalide se gerunt. Nec potest intelligi, quod saltem ex debito caritatis nequeant clerici superflua in causas profanas in vita expendere, & quod in morte licite valeant.

124. *Instabis*, quod Superiores tolerant, & approbant testamenta a clericis facta, etiam ad causas prophanas, consanguineos, vel alios hæredes instituendo: ergo signum est, quod etiam ad causas profanas possunt licite, & valide testari.

125. R. Neg. conseq. Superiores enim tolerant, vel etiam approbant clericorum testamenta, quibus hæredes consanguineos, vel alios instituunt, quia præsumunt facta de bonis patrimonialibus, vel quia difficile est examinare de quibus bonis testantur, igitur ad tollendas lites, & disensiones rata habentur talia testamenta. Verum, si re ipsa condita sunt ex proventibus ecclesiasticis, in foro conscientie nullatenus valent, utpote de alienis disposita. Si autem dicas Paulum V. dispensasse pro clericis Italiae: hoc ipsum probat cæteris non licere sine dispensatione.

126. *Replicabis*: His positus, quis clericorum poterit salvus fieri? Nam si omnia superflua solum in pauperes, & pia opera impendere ex justitia debent,

Ddd

ma-



majorem illorum partem damnamus, quod minime est dicendum. R. 1. Nos nullum damnare, sed ostendere modum, quo ipsi se damnant: vel potius quomodo possunt salvi fieri, observantes decreta sacrorum canonum, & incedentes per viam salutis secundum propositum suae electionis, & vocationis ad sortem Domini.

127. R. 2. Licet clerici aliquid bonorum beneficii in usus profanos insumant, non statim graviter delinquant. Solum dum excessus est notabilis secundum judicium prudentium, peccant contra fidem dispensatoris, & ad restitutionem tenentur, ut docet D. Th. 2. 2. q. 185. art. 7.

128. R. 3. Plures esse clericos timoratos, & praesertim Episcopos, qui optime dispensant patrimonium Christi, relictisque opinionibus minus securis, tutiores amplectuntur, praecipue in hac materia magna fidelium edificatione, & pauperum solatio. Inter alios enim, qui merito nominari possent, emicat nostris diebus exemplum Illustriss. Archiepiscopi Burgensis, qui licet aere alieno gravatus ob expensas a sua caritate contractas, eandem liberaliter prosequitur, tum in erigendis, ornandisque templis, tum in aliis pietatis operibus.

129. *Insistes*: sententiam oppositam doceat Theologi magni nominis, ut Sotus, Banez, & alii gravissimi: ergo licet magis benigna poterit amplecti tuta conscientia. R. Opposita sententiae benignitatem parum juvare clericis circa aeternam salutem: nam etiam in illa tenentur sub gravi omnia superflua pauperibus erogare. Si hoc efficiant, nihil illis officit nostra sententia: Si non, nihil favet altera: parum enim refert, quod clericus descendat ad inferos propter violationem justitiae, vel propter transgressionem praecipii, aut debiti caritatis.

130. R. 2. Doctissimum Sotum, qui sere inventor oppositae sententiae putatur, serio monere Confessarios, quod clericis violatoribus praecipii eleemosynae per modum sacramentalis satisfactionis *largissimas eleemosynas* imponant: eodem prope modo, ac si lege justitiae ad restitutionem tenerentur. Quid autem interest, non teneri restituere ex praecipio

justitiae, si tenentur ex praecipio Confessarii? Hoc profecto demonstrat oppositam sententiam non omnino esse securam. Porro Paulus Comitulus dicit: *contrariam opinionem esse novam, ac periculosam, post mille, & quingentos annos in Christi Ecclesiam invocam*. Archidiaconus dicere non dubitavit: *contrariam opinionem esse juris haeresim*. Petrus Sotus celeberrimus theologus inquit: *Contrarium credimus errorem gravissimum, saltem contra bonos mores, & justitiam: quidni etiam contra scripturam?*

## §. V.

*Alia dubia de eadem materia.*

131. Inq. I. Unde restituere debeat clericus male impensa, maxime si nihil habeat praeter redditus beneficii, qui ex se debentur piis operibus? R. si habeat bona patrimonialia, debet ex illis tantum pauperibus restituere, quantum ex proventibus ecclesiasticis in convivis, ludis, canibus, pompa, & luxu prodegit. Si autem patrimonialibus careat, nec alia habeat, curet patius vivere, & plus deservire Ecclesiae ad restituendum. Tandem si nullo modo valeat, impotentia physica, aut moralis illum liberat ab onere restitutionis.

132. Inq. 2. Cujus loci pauperibus debeat clericus subvenire? R. Episcopos debere succurrere pauperibus totius Diocesis, omnium enim est pastor, & parens, & de omnibus debet curare, sollicitudinemque suam, & caritatem curatis ostendere. Idem intelligas de Parocho respectu suae Parochiae. Caeteri beneficiati, & canonici congruentius distribuere debent inter pauperes loci, in quo funguntur beneficio; imo hoc faciendum necessario est, si ibi occurrant graves necessitates. Istitis vero seclusis, non est gravis inordinatio alios pauperes sublevare. Dum autem in majus bonum commune cederet, alibi superflua expendere, convenientius erit hoc facere: ut ad scholasticos inopes in universitate alendos, ad fundanda monasteria, collegia, vel quid simile.

133. Inq. 3. An pensionarii teneantur

su-

superflua in pia opera expendere? R. Pensionarios clericales proprie tales teneri eodem modo, ac alii beneficiarii superflua pauperibus erogare. Nota vero differentiam pensionum; non enim omnes sunt proprie clericales, ut dicimus tract. de beneficiis,

134. Supposita autem proprietate pensionis, ratio assertionis est, quia haec obligatio est annexa redditibus beneficiorum; sed pensio est portio extracta ab eadem massa beneficii: ergo transit cum eadem obligatione, & onere superfluum in pios usus expendendi. Hoc autem non intelligitur de cantoribus, & aliis, quibus in stipendium laboris personalis aliquid ab Ecclesia confertur: quia hoc inter bona patrimonialia, aut quasi patrimonialia computatur.

135. Inq. 4. Quantum possit clericus sibi ex redditibus beneficii pro decenti sustentatione computare, ut redundans in pia opera teneatur expendere? R. Hoc decerni debere juxta arbitrium viri prudentis, & timorati, inspectis circumstantiis temporis, loci, abundantiae, aut inopiae, personae, gradus, conditionis, & meritum: ita ut non solum honeste possit vivere, sed etiam illa decenti habitatione, & suppellectili, quae personae, & statui juxta morem regionis congruit.

136. Poterit etiam clericus aliqua moderata convivia amicis, & consanguineis, & aliquas donationes remuneratorias, & liberales, quae expediunt suo statui, facere, ad conciliandos animos, & ad benevolentiam ostendendam. Similiter parentibus, & consanguineis donare, ut non indigeant; nullatenus tamen ut ad altiore statum illos erigant. Poterit eodem modo ex redditibus ecclesiasticis filias, etiam spurias alere, & moderate dotare: non tamen valet illis ex fructibus beneficii tantum dotis donare, ac si forent legitimae; aut ex patrimonialibus dotandae essent.

Pro coronaide hujus controversiae placet nobis ob oculos ponere dictum Cardin. Bellarmini, qui contr. 8. & 9. ita ecclesiasticos admonet. „ *Parum refert*, utrum Praelatus damnatur ad inferos, quia peccavit contra justitiam, an quia peccavit contra caritatem, non beate

„ distribuendo facultates, solum quaero,  
„ in quos usus debeat expendere suas ec-  
„ clesiasticas facultates, ut non amittat  
„ vitam aeternam.

## §. VI.

*De regularibus.*

137. Dicendum est i. Praelatos regulares teneri eleemosynas facere de bonis religionis, quia licet non sint domini bonorum monasterii, habent tamen eorum administrationem cum facultate prudenter ea dispensandi: ergo si superflua habeat monasterium, debet ejus Praelatus ex illis in pauperes distribuere.

138. Inq. 1. An Praelatus teneatur omnia superflua monasterii pauperibus erogare? R. quod Praelatus in distributione bonorum monasterii proprias constitutiones consulere debet. Apud nos absque notitia clavorum, nequit toto triennio impendere, etiam in utilitatem conventus, ultra centum, & quinquaginta ducatos. Cumque eleemosyna semper in splendorem conventus, & utilitatem cedere soleat, poterit Praelatus hanc summam per se expendere in pias eleemosynas, praeter illas, quae ad ostium frequenter fiunt. Ista enim semper fieri oportet, & si possibile sit, in dies augeri juxta facultatem monasterii, & secundum majorem, vel minorem necessitatem occurrentiam. Curent Praelati quantum propriae constitutiones permittant, liberaliter se gerere in eleemosynis faciendis: quia hoc congruit perfectioni status, & exemplo, & aedificationi aliorum. Ultra, quod experientia, etiam miraculis confirmata, attestante, eo abundantius Deus illis tribuit, quo ipsi liberalius expendunt cum sua communitate, & pauperibus: in quo sane verificatur quod Dominus dixit Lucae 6. 38. *Date, & dabitur vobis.*

139. Inq. 2. An caeteri religiosi aliquas eleemosynas facere valeant? R. solus religiosus a Praelato deputatus ad expendendas eleemosynas, illas facere debet juxta praescriptum superioris, & commissionem sibi datam, & non aliter. In extrema necessitate quilibet, consulto Praelato, & si nolit, etiam eo invito,

po-